CONSTITVTIONES
Diœceſanæ Cracouienſes,

In diuerſis Synodis ſub Illuſtr^mis & Reuerend^mis Dominis,

GEORGIO Cardinali RADZIWIL,
BERNARDO MACIEIOWSKI,
PETRO TYLICKI,

Epiſcopis Cracouienſibus, ſancitæ & promulgatæ.

Iuſſu Ill^mi & Reueren^mi Domini PETRI TYLICKI, Epiſcopi Crac. prælo mandatæ.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Andreæ Petricouij.
Anno Domini, M. DC. VIII.

1608

PETRVS TYLICKI,

Episcopus Cracouiensis, &c.

Clero Diœcesis nostræ, Christi IESV gratiam & pacem.

QVicunque aliquando Præfecturam animarum Diuina vocatione gesserunt, eorum præceptis & exemplis, quæ nostrarum debent esse norma actionum, instruimur; vt quoties difficultates Ordinem Hierarchicum exerceant, aut in eum morbi irrepant, iis tum agnoscendis, tum sanandis, illorum Conuentus agamus, qui in partem ministerij pastoralis nobiscum adsciti sunt. Neque aut virtutum studiis conseruandis auxilium, aut vitiorum illecebris resecandis remedium, præsentius, & efficacius, omnes qui in plenitudinem potestatis in Ecclesia militante fuerunt vocati, iudicârunt, dum multiplicia de Synodis per Episcopos cogendis, omnibus ætatibus decreta promulgârunt, & eadem in Generali Concilio Tridentino innouârunt. Sed quemadmodum tales pastorum Conuentus, ac ea quæ in illis sancita sunt, vtilissima ac necessaria esse animaduertunt omnes, sic iidem iudicant, eorum neglectum inscitiamq́; difficultatum procellas, quæ ordinem sacrum

exagi-

exagitant, moresq́; deprauatos, non modò non abolere, ſed multò magis augere. Quorſum enim ſciſcerentur leges, ſi neglectæ aut ignoratæ obliterarentur, & non moribus omnium ſtabiliantur? His cauſis permoti ſumus, vt Synodi noſtræ nuper Cracouiæ habitæ Conſtitutiones in lucem edamus. Eodem conſilio duarum anteriorum Diœceſis noſtræ Synodorum decreta, à duobus Anteceſſoribus noſtris, quorum memoria ſit in benedictione, & nomina in libro vitæ, promulgata, rurſus prælo ſubiici mandauimus; ne Ordinationes eis comprehenſæ, quæ perpetuum Diœceſis commodum reſpiciunt, intermittantur, aut contrariis moribus exautorentur. Et cum Apoſtolo docente, neque qui plantat, neque qui rigat, ſit aliquid, ſed qui incrementum dat Deus, eius maieſtatem precemur, vt qui bonas omnium cogitationes & conſilia aſpirando pro infinita ſua bonitate præuenire conſueuit, hoc noſtrum inſtitutum, ad laudem ſui nominis, fidei Catholicæ incrementum, morum in clero & populo emendationem, adiuuando proſequatur, Eccleſiæq́; ſuæ ſalutare eſſe velit.

CON-

CONSTITVTIONES
Synodi Diœceſanæ Cracouien.

Die 29. Martij. Anno Domini, 1593. celebratæ.

SYNODVS DIOECESANA CRAC. Authoritate Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domini, Dñi GEORGII RADZIVIL, miſeratione Diuina TT. Sancti Sixti Presbyteri Cardinalis, perpetuiq́; Adminiſtratoris Epiſcopatus Cracouienſis, in Eccleſia Cathedrali, die xxix. Menſis Martij, Anno Domini, M. D. nonageſimo tertio, legitimè incepta, & duobus poſtea diebus ſequentibus in vicina Eccleſia Collegiata S. Michaëlis in arce Cracouien: continuata, & concluſa fuit. Cuius quidē Synodi decreta, de vnanimi conſenſu Prælatorū, tam ſeculariū quàm regularium, totiusq́; cleri eiuſdem Diœc. qui ad eam Synodū frequens cōuenerat, modo infraſcripto promulgata, & ad futuram rei memoriam deſcripta ſunt: vtq́; Typis excuderētur, demandatū eſt.

I. ANte omnia, Synodus hæc decernit & ſtatuit, vt nemo Abbatum & Prælatorum, audeat & præſumat, vllas bonorum Eccleſię ſuæ cui præſunt, alienationes, ſimiliter & contractus, ac locationes, quæ ſapiant alienationem, vel in detrimentum qualecunque Eccleſiæ ſuæ cedant, omninò facere; niſi de ſpeciali ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Lociordinarij, ipſiusq́; Capituli conſenſu & approbatione. Vbi tamen contractus intercedunt, vel non diuturni, vel de fructibus ac prouentibus non adeò magnis, Lociordina-

rij, ſimul & ipſius Capituli: vbi de paruis & paruo tempore duraturis; ſolius Lociordinarij conſenſus ſufficere debet.

2. DEinde eadẽ Synodus decernit, innouañ antiqua Statuta hac in parte edita, vt omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, ſiue ſeculares, ſiue regulares, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtant, tonſuram deferant, vtanturq; proprio & conuenienti ſuæ cuiuſq; profeſſionis habitu, iuxta illam vulgò tritã ſententiam: PVLCHRIOR APPARET, QVI SVA IVRA TENET. Vtq; ad euitandum luxum in veſtitu, obſeruentur ſtatuta Prouincialia, ſuper hac materia ſancita.

3. ITem, decernit eadẽ Synodus, vt contra quaſcunque Eccleſiaſticas perſonas, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis exiſtant, de immundo concubinatus vitio ac peccato conuictas, pœnę iuxta præſcriptum Concilij Tridentini Seſs: 25. (*Quàm turpe*) & Statutorum antiquorum Prouinciæ Gneſneñ extendantur. Ob idque Synodus hæc iam exnũc Conſtitutiones haſce Concilij Tridentini, Synodiq; Prouincialis publicat, & intimat omnibus, & pro publicatis, atque intimatis haberi vult.

4. ITem decernit eadẽ Synodus, inhæreñ ſtatuto Concilij Trident. hac in re edito, ne SS. Miſſæ ſacrificium, ſiue à ſecularibus, ſiue à regularibus quibuſcunq; presbyteris celebretur priuatis in domibus, atq; omninò extra Eccleſiam, & ad diuinum tãtùm cultum dedicata oratoria conſecrata, vel Altare portatile ex antiquo poſitum habentia. Vtque ex Conſiſtoriis quibuſcunque literæ indulti huiuſmodi non extradantur.

5. ITem, decernit eadem Synodus, vt in inſignioribus Diœceſis huius Eccleſiis, Pœnitentiarij idonei conſtituantur: qui habeant facultatem abſolueñ in caſibus ſedi ordinariæ reſeruatis.

6. ITẽ, decernit eadẽ Synodus, ne Presbyteri, qui Capellani vulgò vocãtur, circa perſonas ſeculares quaſcũq; verſentur, munusq́; ſacerdotale obeant, ſine ſpeciali admiſſione Dñi Lociordinarij.

7. ITem, decernit eadem Synodus, vt in decãtandis officiis diuinis, vniformitas iuxta ritum S.R.Eccleſiæ, vbiq; per vniuerſam hanc Diœceſim ſeruetur. Ac ideò poſtulat, vt libri Eccleſiaſtici, ad con-

ad conformitatem huiusmodi necessarij, primo quoque tempore imprimantur.

8. Item, decernit eadem Synodus, vt Processus hic Parochorũ informatorius, qui publicè lectus est, & à nemine reprobatus, quamprimùm excudatur, excussusq; ad Officiales foraneos transmittatur, sigillo officij obsignatus; vt ab illis per vniuersas Parochias publicetur, post publicationemq; ab omnibus Parochis ad amussim obseruetur.

9. Item, decernit eadem Synodus, vt literæ Monitionis, sub titulo & sigillo Illustriss. Dñi Episcopi Cracouieñ, dirigãtur ad eas seculares personas, quæ suis in Ecclesiis proprios Parochos non habent, quò intra sex mensium decursum, ad hasce Parochias suas præsentent idoneas personas: alioquin, si id facere neglexerint, vt Authoritate Ordinaria de illis prouideatur.

10. Item, decernit eadẽ Synodus, populo sub desertatis Parochiis degenti, viciniores Parochos Sacramenta Ecclesiastica licitè conferre posse. Aliâs nequaquam, nisi de licentia proprij Parochi.

11. Item, decernit eadem Synodus, atq; interdicit, ne Religiosi quicunq;, etiam exempti, audeant & præsumant, in vilipendium Authoritatis Ordinariæ, confitentes, à casibus Episcopalibus, atque etiam excommunicationibus absoluere, sine speciali licentia sedis Ordinariæ.

12. Item, decernit eadẽ Synodus, vt Vicarij Ecclesiarum Parochialium, vbi id fieri potest, habeant prouisiones proprias, assignata illis de fructibus & prouentibus Ecclesiæ illius, cui seruiũt, congrua portione. Aliâs debito salario erunt contenti.

13. Item, decernit eadem Synodus, supplicañ esse nomine ipsius, SSmo D. N. vt Illmo D. Lociordinario concedat facultatem disponendi ac dispensandi circa pluralitatem beneficiorum, quando iustæ & rationabiles causæ interueniunt, ad arbitrium ipsius; considerata & sacerdotiorum & personarum qualitate.

14. Item, decernit eadem Synodus, vt Procuratores certi constituãtur, ad quos pateat recursus Parochis, aliisq; Presbyteris egenis &

nis & pauperibus, pro ipsorum defensione ab iniuriis & oppressionibus secularium, ac bonorum Ecclesiasticorũ recuperatione.

15. ITem, decernit eadem Synodus, vt circuitus circa fontem seu Baptisterium, qui antea tribus diebus Paschatis peragebantur, non nisi Sabbatho sancto circa benedictionem aquæ fiant.

16. ITem, decernit eadem Synodus, vt in Consistoriis vbiq; separatus habeatur liber, in quo excessus Cleri, si qui fortè ad iudicium spirituale deuenerint, annotentur, vtque liber hic non diuulgetur.

17. ITem, decernit eadem Synodus, ne scholares qui certas sedes non habent, ex vna schola in aliam commigrare audeant, nisi de licentia & cum testimonio sui Rectoris, sine quibus nulla ratione à quoquam scholæ Rectore, debent recipi. Alioquin scholares temerè vagabundos, pœna arbitraria punieñ esse.

18. ITem, decernit eadem Synodus, quoniam reperiuntur loca quædam solitaria non approbata, ad quæ confluere solent homines, nescitur qua deuotione permoti, vt Visitatores mittantur eò, qui diligentem inquisitionem faciant de locis huiusmodi, ne fortè imponatur plebi imperitæ, ac idololatria ibi exerceatur.

19. ITem, decernit eadem Synodus, deputandos esse, iuxta præscriptum S. Concilij Tridentini cap: x. Sess: xxv. viros Iurisperitos, ad audiendum causas per commissionem à S. sede Apostolica deuolutas. Deputatiq; sunt ad huiusmodi negotium, Reuerendi Domini, MARTINVS Izbienski de Rusiec Scholasticus, IOANNES Crasinski Cantor, HIERONYMVS Powodowski, PETRVS Gorcinius I. V. Doctor, Canonici Ecclesiæ Cathedralis Cracouieñ. MARTINVS à Radomskie, Præpositus S. Nicolai extra mœnia Crac. MATTHIAS Bech Præpositus, IOANNES Wielicki Decanus & Officialis Ecclesiæ Collegiatæ Sendomirieñ.

CON-

CONSTITVTIONES SYNODI DIOECESANÆ CRACOVIENSIS,

CELEBRATÆ ANNO DOMINI, M. DCI. X. KAL. IVNII.

PRÆSIDENTE

Illmo & Reueren^mo D. BERNARDO MACIEIOVVSKI, D. G. Episcopo Crac. Duce Seuerien.

De erudiendo populo in doctrina Christiana.

NIHIL EST INDIGNIVS ET ABsurdum magis, quàm eos, qui nomine Christiano censentur, præcipua saltem, atq; ad salutem necessaria, Christianæ fidei ignorare capita: quia tamen hoc malum, per totam hanc ferè Diœcesim, adeò inualuit, vt pauci sint admodum, præsertim ex rustica plebe, qui non in maxima rerum huiusmodi ignoratione versentur: statuit & ordinat Synodus, vt Parochi, & alij quicunq; curam animarum habentes, maximè in villis, non solùm in templis, festiuis diebus dum concionabuntur, vel quando pro loci & hominum ratione, opportuniùs illis videbitur, ipsi per se, vel suos Vicarios, modum signandi se sancta cruce, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, Decalogum, præcepta Ecclesiæ, confitendi & communicandi normam, diligenter populum edoceant; verumetiam visitando domos singulorum, ac quàm piè & Christianè viuant inquirendo,

rendo, hæc eadem illis fidei & religionis rudimenta ſedulò inculcent: moneantq; imprimis patres & matresfamiliâs, vt erudiendis in iiſdem liberis atq; familia ſua, ſtrenuè inuigilent. In ciuitatibus autem & oppidis, vbi & cultior eſt populus, & exercendæ huius tam neceſſariæ rei commoditas melior; non contenti diligentia ſupradicta, dent operã Parochi; vt pueri in Scholis, præter alias diſciplinas, pro ætate & captu illorum proponendas à Magiſtris, Catechiſmum etiam Ledeſmæ diligenter ediſcant, recitentq; publicè feſtiuis diebus, in Parochialibus vel Collegiatis Eccleſiis, audiente populo: quodq; illi recitauerint, Parochi vel alii, quibus hoc ex officio incumbit, vberiùs tunc ſtatim & quàm poterunt familiariſſimè enucleent. Ita enim fiet, vt populus ex frequenti eorundem repetitione explicationeque, faciliùs illa & firmiùs memoria teneat.

De inſtituendo Clericorum Ordinandorum Seminario.

CVM integritas præſidentium ſalus ſit ſubditorum, nihilq; in Eccleſia Dei valeat magis ad piè & ſanctè inſtituendos aut deprauandos fidelium mores, quàm vel virtutes vel vitia Sacerdotum, qui paſcendis verbo & exemplo plebibus, forma facti Dominici gregis, præponuntur: nullum autem ad eoſdem exercendos in doctrina curæ animarum neceſſaria, pietatéq; & religione omni informandos, præſentius & efficacius remedium inueniri poſſit eo, quod ſapientiſſimi totius Chriſtianitatis, & Spiritu Dei inſpirati homines, in ſacro Oecumenico Concilio Tridentino prudentiſſimè ſtatuerunt, tamq; ſolicitè & anxiè demandandũ vbique executioni debitæ inculcant: decernit hæc eadem Synodus, vnanimi omnium, etiam Regularium qui ei interſunt, conſenſu; vt iuxta decretum mentemq; Concilij, Semina-

Seminarium, siue domus Clericorum Ordinandorum, Cracouiæ apud Ecclesiam Cathedralem erigatur.

Quia verò magna in hac Ciuitate & reliqua Diœcesi scholarum, ac præsertim Academiæ Cracouieñ habetur cõmoditas, in quibus iunior adolescentium ætas formari & instrui potest: longumq; ac dispendiosum nimis esset, in tanta ministrorum Ecclesiæ paucitate, puerorum qui à teneris annis educarentur, maturitatem expectare: eos tantùm iuuenes, ad prædictum Seminarium admittendos statuit, qui iam in literis per alias scholas mediocriter fuerint versati; morumq; imprimis honestate, spem futuræ frugis certissimam afferant; & vigesimum ætatis annum saltem attigerint; vt eò celeriùs promoueri ad Ecclesiasticos Ordines, per præscripta à sacris Canonibus interualla temporũ, exercitatiq; in eisdem & aliis sacerdotali officio necessariis, addici ministerio Ecclesiarum possint.

Docebuntur autem præcipuè elucidationes controuersiarum de fide cum hæreticis, Casus conscientiæ, rationem prædicandi verbi Dei, atque administrandi Sacramenta, cantum item, computum, & cæremonias Ecclesiasticas, aliaque his similia, modo & ordine præscribendo à Reuerendiss. Domino Episcopo, cum adscitis & adiunctis sibi pro consilio, Reuerendis DD. Ioanne Barski Archidiacono, Nicolao Dobrocieski Canonico, Cracouiensibus, Fr. Melchiore Abbate Chebdouieñ, & Rectore Academiæ Cracouieñ pro tempore existenti; vel si is aliquando sæcularis fuerit, Theologo eiusdem Vniuersitatis Canonico Cracouieñ vice eius, qui etiam de fabrica, ratione viuendi, Præceptoribus, Ministris, & aliis occurrentibus Seminarij negotiis consulent; atque voluntate Reuerendiss. Domini Lociordinarij prouidebunt.

Pro institutione porrò & sustentatione dicti Seminarii, quę non modicos sumptus ac impensas requirunt, statuit & ordinat

ordinat hæc eadem Synodus, vt donec alia prouidēdi ei ratio non occurrit, contributio interim simpla iuxtâ antiquā taxam in Diœcesi consueta, persoluatur tribus annis proximè sequentibus, ex fructibus tam Episcopalis mensæ, quod Reuerendiss. Dominus Episcopus vltrò & libenter admisit, quàm Capitulorum Cathedralis & Collegiatarum Ecclesiarum quarumcunque; Abbatiarum item, Præpositurarum, ac Prioratuum cuiuscunque Ordinis; necnon beneficiorū & locorum omnium, quæ ex decreto Concilij contribuere hoc nomine tenentur. Quam prædictam simplam, reliqui quidem beneficiati ad Officialem, & in Archidiaconatu Cracouień qui latiùs cæteris patet, ad Decanum quisque suum, Capitula autem, Reuerendi Domini Abbates, & Rectores quicunque Monasteriorum, vnà cum prædictis Officialibus Foraneis, & Decanis Ruralibus, ad manus Reuerēdi D. Ioannis Foxij Canonici Cracouień, Collectoris pro nunc ad eam rem deputati, infrà duas septimanas post festum sancti Martini, etiam hoc anno sub pœna duplæ Contributionis deferent.

Cupiens autem vlteriùs Reuerendiss. Dominus Episcopus, necessitatibus Seminarij sine vllo grauamine Cleri prouidere: insistensq́; eidem Concilio, duo Altaria iurispatronatus sui Episcopalis, quæ in Ecclesia Cathedrali sita extant, sanctæ nimirùm Margaretæ ante sacrarium, & sancti Thomæ Cantuarień in Capella Tomiciana, applicat iam ex nunc, incorporat, & vnit eidem Seminario pro temporibus perpetuis; de consensu speciali Reueren. DD. Prælatorum & Canonicorum, totiusq́úe Capituli Ecclesię eiusdem Cathedralis, cum omnibus illorum prouentibus, iuribus, & attinentiis; sine diminutione tamen Diuini cultus, atque modernorum possessorum præiudicio.

Denique erectione & institutione hac Seminarij, nihil libertatibus & ordinationibus Academiæ Cracouień præsens Synodus præiudicare intendit.

De eri-

De erigenda domo pro infirmis & ſenio confectis Sacerdotibus.

ET quia quàm neceſſarium eſt ad promouendam populi ſalutem, Clericos artibus & moribus optimis inſtitui, officiumque ſuum benè ac laudabiliter peragere; tam pium emeritis in hoc ſancto opere, poſtquàm ætate & viribus defecerint, & ad obeunda munia Eccleſiaſtica minùs fuerint idonei, de neceſſariis vitæ prouidere; ne vel in Eccleſiarum detrimentum iuniorum & aptiorum laboribus loca occupare, vel rerum inopia ac ærumnis confici, contraque dignitatem clericalis ordinis mendicare cogantur: placuit Synodo peculiarem domum pro alendis infirmis & decrepitis Sacerdotibus, qui vnde ſe ſuſtentent non habebunt, Cracouiæ erigi; proque victu & neceſſitatibus eorundem, relicta quæcunque inteſtato à Clericis per hanc Diœceſim; necnon dimidiam partem legatorum ad pias cauſas, diſpẽſandorum indifferenter atque pro Executorum arbitrio; pœnas itèm Synodales atque Officij omnes; fructuſqúe ſequeſtrandos ob quæcunque Clericorum delicta applicare: prout ex nunc, aſſenſu & expreſſa Reuerendiſs. D. Epiſcopi voluntate, applicat: ſalua tamen diſpoſitione de inteſtatis à Conſtitutionibus Prouincialibus ſancita; vt deductis primùm deducendis iuxtâ eas ex defuncti peculio, reliquũ pro eadem domo conuertatur.

De iuuandis pauperibus.

TAnta eſt in hac Diœceſi multitudo atque neceſſitas pauperum, magno in cordibus hominum, non charitatis ſolùm Chriſtianæ, ſed & ſenſus humani propè extincti iudicio; verendum vt ſit, ne poſt multiplices plagas, quas nobis continuè diuina iuſtitia infligit, grauiores nos maneant

neant hoc nomine, quòd carnem ex carne oſſaque ex oſſibus noſtris quaſi odio habentes, fratres noſtros eodem quo nos ſumus Chriſti ſanguine redemptos, frigore plerumque enectos, fameque ac pœdore conſumptos, languere & mori in conſpectu noſtro patimur. Quibus malis cupiens tempeſtiuè occurrere Synodus, extentamque ad vindictam flectere Domini manum; monet ac hortatur vniuerſos Clericos, cuiuſcunque ſtatus & conditionis exiſtant; vt induti viſcera miſericordiæ, non ſolùm pro parte ac viribus ipſi ſuis ſuccurrant inopiæ pauperum; verùmetiam ſæculares ad idem præſtandum, ardentibus atque aſſiduis cohortationibus inflamment.

Et imprimis optat Sodalicia ſeu Fraternitates Miſericordiæ & Lazari, quæ magna ſignificatione Chriſtianæ charitatis in pauperes, propagatæ iam ſunt per multas Ciuitates Regni, in quàmplurimis Diœceſis huius locis, vbi id commodè fieri poteſt, cura & perſuaſione Parochorum erigi: deinde procurari diligenter Hoſpitalia, & caueri, ne Adminiſtratores illorum quicunque, in diſpenſandis annuis redditibus vel eleemoſynis pauperes defraudent: à quibus propterea, Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus, per ſe, vel Commiſſarios ſuos, rationem acceptorum datorumq; quotannis repoſcet.

Quia verò mendicorum temerè vagantium maximus eſt numerus, qui tametſi valentes viribus, quærendoq; labore & opera victui, ſæpe ſunt idonei, mendicant tamen per Ciuitates & Oppida, ac non ſolùm veris & incolis pauperibus eleemoſynam iniquè præripiunt; ſed ipſi quoque ea ſcandaloſè, inque perniciem animarum ſuarum abutuntur; viſum eſt Synodo, vt diligens deinceps habeatur eorũ delectus; ac qui quidem ſani & validi erunt, expellantur à Magiſtratu ex Ciuitatibus & Oppidis, neque mendicare apud Eccleſias à Parochis permittantur, vel certè faciendis

operi-

operibus publicis, iusta aliqua mercede, addicantur. Infirmos autem & veros mendicantes, curet quisque Parochus, vt in sua Parochia ipse & Parochiam eius, siue erigendo de nouo, vbi non habetur, Hospitali, siue assidua adiutricum manuum porrectione sustentent, ne aliâs vagentur, atque Parochiis aliorum sint oneri.

Quia tamen pro tanto egenorum numero, quantus est, & magis ac magis augetur in dies, vt multò plura adhuc haberentur Hospitalia, nequaquam sufficerent: difficilimúq; est huic malo, nisi sublata causa opem ferre: restauratis nimirùm veluti aggeribus iustitiæ, per quos vi iniquitatis ruptos, immane hoc inopiæ ac miseriarum inundauit & regnat diluuium: præcipit hæc eadem Synodus, vt Prælati quicunque, prædiales vel alios quosuis subditos habentes, clementer ac benignè eos tractent. Parochi verò & cæteri, quibus cura & regimen animarum incumbit, persuadeant pariter Nobilibus, dum vel prædicant verbum Dei, vel Cõfessiones illorum excipiunt: vt tot tantisque iniuriis, & oppressione subditorum suorum abstineant: censusq; & operas iniquè vel grauiter exigendo ab eis, sanguinem pro lacte non emungant. Hinc enim hæc noua, & numerosiora quotidie mendicorum examina prodeunt: timendumque est, ne quod seuerè minatur, propter miseriam inopum & gemitum pauperum, exurgat aliquando Dominus, vindicetque illos in ira furoris sui.

Vt autem tam Clerici, quàm alii quicunque, & minorem necessitatem opprimendi subditos, & maiorem commoditatem subleuandi habeant egentes, efficacissimũ videtur remedium, moderatio, & parsimonia. Quamobrem Ecclesiastici omnes, memores se esse non tam dominos, quàm dispensatores bonorum Ecclesiæ, viuereque ex pauperum patrimonio, ac peccata populi comedere: studeant imprimis conuenientem frugalitatem seruare in omnibus,

quæ tamen hoſpitalitatem debitam non excludat: omneſq́; ſuperfluos & minùs neceſſarios ſumptus amputent: ſint in victu & veſtitu moderati, pro conditione quiſque ſua: familias & equos vltrà neceſſitatem non alant: ſupellectili non pompoſa neque exquiſita vtantur. deinde præter viuam, modeſtiæ ac parſimoniæ omnis expreſſam in ſe imaginem, perſuaſionibus etiam aſſiduis auctores ſint Sęcularibus, pro ſuo officio; vt moderationem in omni vita colant, luxum, & expenſas inutiles fugiant. Ita enim facilè ditiſſimi ſine ſubditorum iniuria, Eccleſiæque & pauperibus munifici eſſe poterunt.

De Regularibus.

MOnentur Reuerendi Domini Abbates, vt iuxta decretum Conc. Tridentini, Conſtitutioneſq́; Prouinciæ, ſacram lectionem, & alias, pro captu diſcentium, in Monaſteriis ſuis, per Regulares ſui Ordinis, ſi reperiantur idonei, alioqui per ſœculares Magiſtros inſtituant. Ita enim Monachi, & ad alios in Spiritualibus iuuandos aptiores euadent: & otium, quod eſt vitiorum omnium mater, propulſabunt à ſe facile.

Statuit præterea Synodus, ne Religioſi, quibus cura animarum in beneficio aliquo Regulari incumbit, etiamſi à Superioribus ſuis deſtinentur ad hoc munus, audeant ſe ei immiſcere vllo pacto, niſi priùs examinati, approbati, atque inſtituti fuerint à Reuerẽdiſſimo Domino Loci ordinario, vel officio eius. Similiter & alii quicunque etiam mendicantes, non præſumant, præſertim extra ſuas Eccleſias prędicare ſine eiuſdem licentia: neque Confeſſiones audire abſque examine præuio, vel niſi aliâs Reuerendiſs. Domino Epiſcopo de idoneitate illorum conſtiterit, multò minùs autem adminiſtrare alia Sacramenta, ſine conſenſu Parochorum: vel excommunicatos à pœna & culpa abſoluere, præter-

præterquam in casibus à iure expressis: incursuri aliâs pœnam excommunicationis ipso facto, per Apostolicam tantùm sedem relaxandæ, iuxta Clementinam Religiosi de Priuilegiis, quam publicat & ad notitiam omniũ deducit.

De bonis & iuribus Ecclesiæ non alienandis.

PLerique Ecclesiarum Parochialium patroni, in maximum earundem præiudicium atq; dispendium populi, vt eò liberiùs Ecclesiasticos prouentus detineant, sibique vsurpent, non præsentant Parochos ad Ecclesias iuris patronatus sui idoneos; sed Cõmendariis tantùm, quos minima redituum parte salariant, de semestri in semestre eas committi procurant. Cui malo cupiens obuiare synodus, statuit, ne deinceps literæ Commendarum huiusmodi, ab Officialibus foraneis, aut Vicario etiam generali, ad cuiusuis instantiam extradantur: & si extraditæ fuerint, nullius sint momenti ac roboris, præterquàm pro primo semestri post cessum vel decessum Parochi; ne interim Ecclesia, dum illi de alio Rectore prouidetur, debitis fraudetur obsequiis.

Si quis autem Clericorum, quod absit, immemor vocationis suæ, atque instar viperæ sæuiens in viscera matris, occupauerit ipse, aut occupantes vi vel fraude, bona, iuraúe Ecclesiæ, laicos, cõsilio vel opera iuuerit, nefandæúe fraudis vel vsurpationis huiusmodi fabricator aut consentiens fuerit; præter excommunicationis pœnam, quam à solo Romano Pontifice, neque priùs, quàm bona iuraúe prædicta restituantur Ecclesiæ, absoluendus, incurret, beneficiis etiam omnibus priuatum illum esse, atque ad alia quæcunque inhabilem reddi, suspendẽdumq́; ab executione Ordinum suorum, etiam post integram satisfactionem & absolutionem, quàmdiu Reuerendiss. Domino Lociordinario videbitur, decernit.

Statuit item & ordinat, ne Abbates, Præpositi, Abbatissæ, & Priorissæ cum Conuentibus suis, vel alii quicunq; etiam sęculares beneficiati, alienationes vllas bonorum, iuriumúe, pertinentium ad Ecclesias quibus præsunt; locationes item, seu alios quoscunq; contractus, qui alienationem quouis modo sapiant, etiam prætextu euidentis vtilitatis Monasterij aut Ecclesiæ, facere inireué audeant, sine speciali sanctæ sedis Apostolicæ, Lociordinarii, ipsiusque Capituli consensu & approbatione. Si quid autem secus attentatum fuerit ab aliquo, præterquàm quòd nullum ac irritum erit ipso iure, contrafacientes etiam, pœnas in Constitutionibus Prouincialibus sancitas incurrent. Ad contractus tamen, super huiuscemodi, vel non diuturnos, vel de prouentibus fructibusúe non adeò magnis roborandos, Lociordinarii & Capituli simul; ad exiguos autem & paruo tempore duraturos, solius Lociordinarii consensus sufficiet.

Item prohibet, sub pœna excommunicationis incurrendæ ipso facto; ne quisquam etiam Regularium cuiuscunque ordinis, subtrahentes quoscunque vel impedientes decimas debitas Ecclesiis, absoluere ab hoc crimine præsumat; nisi plena earundem restitutione secuta. Similiter eos, qui in concionibus, priuatis colloquiis, aut vbilibet aliâs proferunt aliquid, vt audientes à solutione decimarum auertant; vel conscientiis confitentium sibi, nullum de industria super solutione earundem scrupulum iniiciunt, decernit pœnas incurrere in Clement. Cupientes, de pœnis sancitas.

Et quoniam vt æquum, atque iuri omni maximè consentaneum est, debitas Ecclesiis decimas persolui; ita periniquum ex altera parte, ob supinam Clericorum, qui eas colligere differunt, negligentiam, & quandoque indignas Ecclesiasticis viris artes, reliquas laicorum segetes iacere in cam-

in campis diutissimè, cælique, bestiarum, & furum patere iniuriis; indulget hæc eadem Synodus; vt cùm primùm laici segetes quascunque iuxtâ genus & tempus illarum messuerint, monuerintq́; denunciatione trina, ac sustinuerint eos quibus decimæ debentur, cum hyemalibus quidem ad festum S. Bartholomæi, cum æstiualibus autem ad Natiuitatem vsque B. Virginis Mariæ, modo à Constitutionibus Prouincialibus præscripto, illi autem nihilominùs decimare eas distulerint; possint ipsi suas nouem partes, adhibitis in testimonium duobus ciuitatis, oppidi, aut villæ Scabinis, conducere ad horrea pro libitu: sententiasq́ue omnes Cẽsurarum, quas hoc nomine ferri contra eos Clerici curauerint, irritas & inanes decernit.

Inhærendo etiam decreto Conc. Tridentini, præcipit, vt Quarta, quam funeralium vocant, solui Parochialibus Ecclesiis ante quadraginta annos consueta, sed posteà intermissa, aut ex aliquo priuilegio Monasteriis, Hospitalibus, vel aliis piis locis concessa, persoluatur integrè, vt antea, iisdem Ecclesiis; non obstantibus concessionibus, gratiis, & priuilegiis quibuscunque; aliâs producant iura sua, si qui se grauatos hoc nomine senserint.

De Iudicibus & Procuratoribus ad Iudicia Tribunalicia deputandis.

MOnitos vult esse eos omnes Synodus, qui deinceps ex Clero Diœcesis huius Tribunalicii Iudices deputabuntur; vt memores officij sui, atque cogitantes seriò, quantùm illorum absentia, si non afferre periculi, mora saltem ac dilatione nocere Cleri & Ecclesiarum negotiis possit, tempestiuè ad locum Iudiciorum conueniant: neque inde discedant sine graui & vrgente caussa, sub pœna arbitrio Reuerendiss. Domini Loci ordinarii irroganda.

Quò autem maturiùs prædictorum Deputatorum electio, maiorique illorum, qui ad eam pertinent, frequentia fiat; certam atque definitam celebrationi eius diem, primam videlicet Octobris, in Ecclesia Cathedrali assignat.

Placet præterea, constitui à Reuerendiss. Domino Lociordinario certos aliquos Procuratores, apud idem Tribunal Regni, qui egentioribus Parochis, & aliis Sacerdotibus, in prosequendis contra seculares eorum iniuriis, bonisque & iuribus Ecclesiarum vindicandis, fideliter consulant ac patrocinentur.

De instituendis Archiuiis.

QVia sæpe cum maximo Ecclesiarum detrimento, iura & priuilegia earundem, beneficiatorum obitu, vel aliis fortuitis casibus depereunt: visum est Synodo, vt tam in Cathedrali quàm Collegiatis omnibus, Monasteriis itẽ, Hospitalibus & aliis celebrioribus Ecclesiis, instituantur Archiuia: in quibus fundationes, & aliæ quæcunq; ad bona & iura illarum spectantes scripturæ, nitidè, atque sub duabus minimùm clauibus, seruentur. A Parochis verò ad Reuerendiss. Dominum Lociordinarium deferantur Originalia, relictis penes se & Officiales foraneos autenticis illorum transumptis; quæ posteaquam libro beneficiorũ conscribendo nouiter ingrossata fuerint, si quæ adhuc antiquo ingrossata non sunt, dabuntur seruanda ob securitatem, ad Archiuia Cathedralis vel Collegiatæ alicuius proximioris Ecclesiæ; vnde quandocunque occurret necessitas, repeti poterunt à Parochis, & iterum ibidem deponi.

De impreßione & venditione librorum.

PRohibetur etiam Typographis atque Librariis omnibus, ne cuiusuis generis libros, iudicia Astronomica, &

alia quantumuis minuta, nisi priùs visa & approbata à Lociordinario, vel Deputatis eius, tam ipsi imprimere, quàm impressa alibi inferre Diœcesi audeant, sub pœnis in Constitutionibus Prouincialibus sancitis; quas innouat, atque in viridi obseruantia esse cupit.

De Iudæis.

QVoniam Christianos, in magnum religionis Christianæ dedecus, subesse quouis modo Iudæis non conuenit; prohibet seuerè Synodus, ne conductione bonorũ terrestrium, aut aliâs quomodolibet, obtinere quodcũque potestatis vel iurisdictionis genus, super Christianos permittantur; neué seruos & ancillas domi suæ alere aut infantes suos à mulieribus Christianis lactari nutririúe facere præsumant, sub pœnis in Regni statutis expressis, pro Iudæo quidem contra faciente centum marcarum soluendarum Magistratui, pro ancilla verò aut seruo carceris.

De Examinatoribus promouendorum ad Parochiales.

EXequendo Synodus decretum Conc. Tridentini, elegit Examinatores promouendorum ad Parochiales Ecclesias, propositos à Reuerendiss. Domino Episcopo, Reuerendos & Venerabiles DD. in Curia quidem Reuerendiss. Martinum Szyszkovvski Canonicum Cracouieñ Cancellarium I. V. Lucam Doctorium Decanum Luceorieñ. Sacræ Theolog. Iacobum Ianidlouium I. V. Assessores Iudiciorum Reuerendiss. D. suæ. apud Officium verò generale, Ioannem Foxium Canonicum Cracouieñ, I. V. Doctores, Ioannem Volbramum I. V. Licenciatum, & Adamum Romerium, Sac. Theolog. Baccalaureum, Academiæ Cracouieñ Professores.

De Commissariis causarum Curiæ Romanæ.

IVdices item Commissarii, quibus causæ spirituales & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, à sede Apostolica, Legatisúe, aut Nunciis eius, delegandæ in hac Diœcesi erũt, insistens decreto eiusdem Concilii, designat Reuerend. DD. Ioannem Barski Archidiaconum, Ioannem Crasinski Cantorem, Petrum Gorcinium, Nicolaum Dobrocieski Canonicos Cracouieñ, Ioannem Wielicki Decanum I. V. Doctores, & Gasparem Cichocki Canonicum, Sendomirienses.

CONSTITVTIONES SYNODI, ANNO DOMINI M. DC. VII. DIE XVIII. Septembris Crac. in Ecclesia Collegiata SS. Omnium celebratæ.

PRÆSIDENTE

Illustriss: & Reuerendiss: Domino PETRO TYLICKI, *Episcopo Cracouien.*

Constitutio Prima.

De Vita & honestate Clericorum.

CVM cœlestis gratiæ munere, ea inter alias benedictione Diœcesis hæc nostra diuinitùs sit ornata, vt anterioribus Synodis abũdè statutum sit, quicquid ad Sacrorum dispensationem & Cleri mores rectè & ex formula SS. Canonum componendos attinet, præsens Synodus inprimis decernit, vt quicquid Constitutïonum præteritæ Synodi Prouinciales & Diœcesanæ, de omnibus vitæ & honestatis Clericorum officiis, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus, sæcularibusq; negotiis fugiẽdis, sanciuerunt, etiamsi desuetudine exauthoratæ sint, eas omnes qui in hac Diœcesi diuino ministerio se dedicârũt, sanctè obseruẽt, factisq; ac vitæ actionibus, quod perpetuum est prædicãdi genus, populũ cuius

salutis

ſalutis cuſtodiam ſortiti ſunt, ad pietatẽ & Dei cultum aſſiduè inſtruant. Tum & bona Eccleſiæ, quæ patrimonium Chriſti ſunt, in victu & veſtitu ita vſibus ſuis accõmodent, vt ex eorum victus ratione alij frugalitatis exempla petant. Veſtitu etiam extrinſeco morum honeſtatẽ ita oſtendant, vt à rebus ſæculi in ſanctiorem gradum ſe ſublatos vndequaque profiteantur. In tranſgreſſores quarumcunq; de vita & honeſtate Clericorum ſanctionum, ſiue in anteactis Synodis rogatarum, ſiue iure communi compręhenſarum, Reuerendiſs: Dñus Epiſcopus animaduertat, ac pœnas arbitrio ſuo ipſis irroget. Eas verò dignitates ſiue Præfecturas Eccleſiaſticas, in Diœceſi gerentes, quibus Epiſcopalem ſolicitudinem releuare incumbit, officiorum ſuorum partes ita expleant, ne intermiſſæ ſuæ vocationis & neglectæ ſubditorũ emendationis, dignas Deo vindice pœnas perſoluãt.

Conſtitutio Secunda.

De Compoſitione.

Decimæ atq; vniuerſum Eccleſiæ patrimonium, cùm ſint largitio Dei omnipotentis, easq; in recognitionẽ vniuerſalis Dominii ſibi reſeruauerit, earum nomine compoſitioni, quam ordo Equeſtris vrget, ita ſe Synodus accõmodare intendit, in quantum ex iuris præſcripto ſibi licet, & ita ineundam decernit, vt nullo res Eccleſiaſticæ incommodo afficiantur, Eccleſiæq; ob inopiam ad deſolationem adigantur. Ad eam autẽ tractandam, deputat Rñdos Dños, MICHAELEM Maliſzevvski, Abbatem S. Crucis, HIERONYMVM Ręczaiski Archidiaconum, HIERONYMVM Poyvodovvski, NICOLAVM Dobrocieski, ANDREAM Lipski, Canonicos Cracouieñ. & PAVLVM Sczerbic Præpoſitum Sendomirieñ. Pro ſumptu ibidem faciendo quartam partem ſimplæ contributionis vniuerſus clerus illis offert,

quam ad Decanos rurales conferet. Decani autem ad Officiales ſuos ante feſtum ſanctorum Omnium. Officiales ante feſtum S. Martini ad Rñdum D. Ioannem Foxium Canonicum Eccleſiæ Cathedralis Crac. tranſmittent. Qui ſubſidium tempore decreto exoluere neglexerit, integra contributione ſimpla ab Officiali mulctetur.

Conſtitutio Tertia.

De decimis ex peculio Eccleſiæ.

DVdum ſacris Canonibus ſancitum eſt, ne quiſquam Eccleſiaſticorum, alterius Eccleſię patrimonium inuadat, aut Decimas aliorum ſibi vſurpet, vel præpediat, aut inuaſioni ſiue vſurpationi earum conſentiat; nihilominus aliquibus ſpiritualibus Ordinationibus SS. Canonum hac in parte contrauenientibus, Statutumq; Prouinciale hoc nomine latum contemnentibus, præſens Synodus vltra pœnam dupli in Synodo Prouinciali ſancitam, pœnas à SS. Cõcilio Tridentino contra raptores Eccleſiæ promulgatas, ad raptores Decimarũ extendit & promulgat. Conc: Triden. Seſs: 22. cap: 11.

Conſtitutio Quarta.

De ſuſtentatione Seminarij.

AD diſpenſanda ex vtilitate animarum SS. Fidei myſteria, permultùm in recta eorum, qui Ordini ſacro nomina daturi ſunt inſtitutione, eſſe poſitum Synodus experimento nuper edocta, quando præteritæ Synodi decreto Seminarium Clericorum ordinatum, complures rerum Eccleſiaſticarum ſcientia inſtructos ſacerdotes protulit: ne ſuſtentatio eidem Seminario deſit, ſtatuit vt omnes in Diœceſi Abbates & Religioſi, Præpoſiti, Prioresq; ac Abba-

tissæ, simplam contributionem pro sustentandis Clericis in Seminario degentibus pendant ad triennij decursum. Quæ contributio initio mensis Decembris ad R. D. Ioannē Foxium, Ecclesiæ Cathedralis Canonicum conferatur. Qui tempore præscripto non exoluerit, per Rñdiss: D. Episcopum dupla contributione mulctetur. Porrò vt plures ministerio Ecclesiastico operarios idem Seminarium sufficiat, Rñdiss: D. Episcopus ducentos annuos florenos pro eius vsibus in prouentu ex fodinis metallorum Kielcensibus assignat. Et Venerabile Capitulum Ecclesiæ Cathedralis cōsilium de subsidio eidem Seminario præstando, ad generale Capitulum quod appetit, refert. Si antequam triennium quo isthæc stipendia decreta pendentur, exactum fuerit, ex ordinatione prioris Synodi sumptus Seminario prouenire ceperit, pensio suprascripta antiquetur.

Constitutio Quinta.

De scrutinio Ordinandorum.

EDocta hactenus experimento Synodus, plerosq; emēdicato de moribus & natalibus minus conuenienti testimonio, ad Ordines promoueri velle, deinde non ad ædificationem, sed ad destructionem fidelibus esse. Idcircò statuit iuxta prioris Synodi præscriptū, vt deinceps omnes & singuli, Ordines accepturi, minores quidem bonum à Parocho & Magistro scholæ testimonium habeant. Hi verò qui ad singulos maiores Ordines erunt assumendi, per mēsem ante Ordinis acceptionem, Officialem districtus, in quo degunt, accedant, qui deinceps Parocho illorum, aut ei cui magis expedire iudicauerit, committat: vt nominibus ac desiderio illorum, qui volent promoueri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis inquisitionem instituat,

& li-

& literas testimoniales ipsam inquisitionem continentes, ad examinatores Ordinandorum in Rotulo clauso trãsmittat. Et quia multi fictas prouisiones Ordinandis publicis tabulis insinuant, animo, & aliquando cum pacto, quòd illis nihil daturi, & ordinãdi, illis non ministraturi sint; obuiando huic, ad eneruandam Ecclesiasticam disciplinam, comparatæ fraudi, quæ Clericis vagandi & mendicandi causam præbet, pœnam excõmunicationis contra eos qui talem prouisionẽ concedunt, & qui eam acceptant, Synodus decernit. Quod si hac ratione fictæ prouisiones cohiberi nequeant: vltra pœnam nunc statutam, alias grauiores Illustriss: D. Episcopus promulgabit & irrogabit.

Constitutio Sexta.

De subsidio pro infirmis sacerdotibus conferendo.

CVm homines in sortem Domini vocati, arctiùs aliis fidelibus ad officia charitatis obligentur, eorumq; bona ex patrimonio Ecclesiæ quæsita, Dei sint: statuit Synodus, quicunq; Ecclesiasticorum supremæ voluntatis testamentariȩ elogio bona sua dispensat, pro infirmorum sacerdotum domo, prioris Synodi decreto erecta, ad minimum duos florenos Polonicos leget. Alioquin peculij per eos relicti, circa confirmationem testamenti, aliqua portio eidem domui applicabitur. Eos verò qui ritu solenni Religionem professi Beneficia Regularia obtinent, cùm ius condendi testamenti non habeant, hortatur Synodus, vt pro eo atq; pauperum & miserabilium personarum paternam curam gerere debent, ad eorundem senio morbisúe confectorum sacerdotum sustentationem, aliquid de bonis suis, eleemosinæ intuitu, etiam in ægritudine constituti, largiantur. Præsenti decreto, de subsidio testamentario in sacerdotes ȩgros faciendo, Synodus liberȩ testandi potestati,

 quod

quod vniuersa prouincia S. Sedis Apostolicæ beneficio est sortita, derogare nequaquam intendit.

Constitutio Septima.

De Examinatoribus Parochorum & Iudicibus delegatis.

DEcretum SS. Conc: Trident. De Examinatoribus Parochorum & Iudicibus delegatis, quibus à S. Sede Apostolica, aut quopiam alio iudice, qui Ordinario est superior delegandæ sunt, Synodus exequendo, Examinatores futurorum Parochorum ab Illustriss: Dño Episcopo propositos Synodus approbat. In curia Episcopali, Curiæ Illustriss. D. Episcopi Cancellarium, Andream Zagorny I.V.D. Kurzelouien. Petrum Skidzinski Zavichvvosten. Archidiaconos. Apud Officium Generale, Martinum Vadouium S. Annę, Sebastianum Nucerinũ Scarbimirien. Canonicos, S.Theol. Ioannem Wolbramum Præpositum S. Nicolai I.V. Doctores. Ad causas autem delegata potestate iudicandas, Rñdos Dños, Ioannem Krasinski Cantorem, Albertũ Szydlovvski Custodem, Nicolaum Dobrocieski, Ioannem Foxium, Canonicos Crac. Paulum Sczerbic Præpositum, Ioannem Wielicki, Decanum Sendomirienses. Et quia antequam Synodi huius constitutiones prælo mandatæ essent, vnus ex his qui ad iudicia delegata deputati sunt è viuis excessit, nempe Rñdus olim Nicolaus Dobrocieski, Reuerendiss. Dñus Episcopus ex pręscripto SS. Concilij Tridentini, consilio Venerabilis Capituli Ecclesiæ suę Cathedralis adhibito, in eius locum sufficit R. D. Hieronymum Ręczayski Archidiaconum Cracouiensem.

Con-

Constitutio Octaua.

De iudicibus ad Judicia Tribunalis Regni deputatis.

QVI ex ordine Ecclesiastico ad iura in Tribunali Regni dicenda deliguntur, ordinat Synodus, vt ex formula præteritæ Synodi muneri suo incumbant. Ne autem stipendia ipsis hactenus decreta, si non suo tẽpore exoluantur se à Iudiciis subtrahendi occasionem præbeant, statuit Synodus, vt eadem ab omnibus pro festo D. Martini ad Procuratorem Venerabilis Capituli Ecclesiæ Cathedralis conferantur. Qui hoc tempore non exoluerit, duplicato eodem stipendio à Rñdiss: D. Episcopo mulctetur. Eorundem stipendiorũ quantitatem hactenus decretã, ne aliquãdo per desuetudinẽ aboleantur, aut ambiguitate inuoluantur, præsens Synodus innouat & promulgat.

Contributio pro Rńdis D. Judicibus ad Iudicia Tribunalis Regni.

Abbas Tinecensis	fl 200.	Præpositus Pinczouiẽ.	fl 10.
Abbas Wachoceñ	fl 200.	Præpositus Bessouiensis	fl 6.
Abbas Andreiouien.	fl 100.	Præpo: S. Spiritus Crac:	fl 5.
Abbas Sieciechouien.	fl 100.	Prouincialis Częstoch.	fl 15.
Abbas Coprivvnicen.	fl 100.	Præpositus in Krasnik	fl 4.
Abbas Claræ tumbæ	fl 100.	Præpositus in Trzciáná	fl 2.
Abbas S. Crucis	fl 50.	Præpositus Krzizanou.	fl 2.
Abbas Chebdouien.	fl 30.	Abbatissa Sandecensis	fl 60.
Abbas Ciricensis	fl 30.	Abbatissa Zvvierzynẽ	fl 40.
Abbas Sandecensis	fl 5.	Abbatissa Staniaten.	fl 30.
Prępositus Miechouiẽ. ex cõsuetudine	talar: 100.	Abbatissa S. Andreæ	fl 30.
		Abbatissa Buscensis	fl 10.
Præpo: Cor: Chri: Cra:	fl: 16.	Abbatissa Hymbram.	fl 10.

Promulgatio Bullæ Cœnæ Domini.

PETRVS TYLICKI, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Cracouienſis. &c.

SAcroſancta Romana Eccleſia, quam imperſcrutabilis Diuinæ prouidentiæ altitudo cunctis prætulit Eccleſiis, die quo ſalutis noſtræ opus cœpit, medicinalia excõmunicationis decreta, contra peruicatiam ſuorum, quos in Chriſto genuit, filiorum, promulgare conſueuit, eademq; vt ſæpius in Eccleſiis promulgentur, irrefragabili conſtitutione ſanxit, quò ad Eccleſiam, cuius ſinu propria temeritate excidunt, poſtliminio redire, pœnitentiaq; tanquam prodigus filius ducti, Diuinæ Maieſtati ſe acceptabiles reddere ſatagant. Itaque hanc diſciplinantem non eradicãtem pœnam à Chriſti Vicario promulgatam, hiſce Cõſtitutionibus apponimus. Vniuerſis præcipiendo, eam publicari formula & tenore ſuo, qui is eſt.

PAVLVS Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, &c.

PAſtoralis Romani Pontificis vigilantia, & ſolicitudo, cùm in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimùm in Catholicæ fidei ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conſeruanda, maximè elucet. Nimirum, vt fideles Chriſti non ſint paruuli fluctuantes, neq; circumferãtur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circunuentionem erroris, ſed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, neque ſe in huius vitæ ſocietate & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat, ſed potiùs in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra ſub Chriſto capite, eiuſq; in terris Vicario Rom. Pontifice Beatiſſimi Petri ſucceſſore, à quo totius Eccleſiæ vnitas dimanat, augean-

augeantur in ędificationem, atq; ita diuina gratia adiutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoq; beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Rom. Pōtifices prędecessores nostri, hodierna die, quæ anniuersaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladiū, & salutaria iustitiæ arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustum, & solemnem hunc morem sequentes.

1. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoq; Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostra, quoscunq; Hussitas, Wiclephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hęreticos quocunq; nomine censeantur, & cuiuscunq; sectæ existant, ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra & Sedis Apost. scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore, necnon Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes & singulos cuiuscunq; status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus: ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad vniuersale futurum Concilium appellātes:

nec-

necnon eos, quorum auxilio, vel fauore, appellatum fuerit.

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrẽtes Mare nostrum, præcipuè à Monte Argentario vsq; ad Terracinã, ac omnes eorũ fautores, receptatores, & defensores.

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, qui Christianorum quorumcunque nauibus, tempestate seu in transuersum (vt dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta in mari, vel in littore inuenta, cuiuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cuiusq; maris Regionibus, & littoribus, surripuerint; ita vt nec ob quodcunq; priuilegium, consuetudinẽ, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionẽ, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris suis noua Pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali Sedis Apost. licẽtia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac Supplicationum, gratiam, vel iustitiam concernentium, per Rom: Pontificem, vel S.R.E. Vicecanc. seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom: Pontificis signatarum, necnon falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsò signantes Supplicationes huiusmodi sub nomine Rom: Pontificis, seu Vicecanc. aut gerentium vices prædictorum.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes & inimicos, vel Hæreticos, per nostras, siue huius sanctæ Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos,

deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaq; alia metallorum genera, atq; bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quàm alia quacunq; materia, & ipsam materiã, aliaq; huiusmodi, quibus Christianos & Catholicos impugnãt, necnon illos, qui per se vel alios de rebus statum Christianæ Reipub. concernẽtibus, in Christianorũ perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos, necnon hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisq; ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstãt. Non obstantibus quibuscunq; priuilegiis, quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscunq; fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilãt, spoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu

tes, seu deprædantes, Romipetas, seu peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ïpsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisq; Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eiicientes: Necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alios, personas ecclesiasticas quascunq;, vel seculares ad Romanam Cur. super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumq; gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi, occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè, vel indirectè, delicta huiusmodi committere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumq; præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quàm seculares cuiuscunq; dignitatis, qui pretexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, tam gratiam, quàm iustitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorũ processuum, executorialium, & aliorum decretorum, à Nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præ-

ciis, Præsidentibus, Palatij nostri, & Cam: Apost. Auditoribus, Commissariis, aliisq; Iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut aliâs ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt, quiúe illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne tabelliones, & Notarij super huiusmodi literarum & processuum executione, instrumenta vel acta conficere, aut confecta, parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, cõsanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerãt, detinent, ex Ciuitatibus, locis, & Regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicè, vel occultè, quiúe aliâs quibuscumq; personis, in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorum negociis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Rom: Cur. accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè aut indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios seu tabelliones, vel aliâs quomodolibet retinere præsumunt.

14. Item excõmunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui per se, vel alios, auctoritate propria ac de facto, quarumcunq; exemptionum, vel aliarum gratiarum & literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisq; iudicibus

 eccle-

ecclesiasticis auocant, illarumúe cursum, & audientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam Iudices interponunt. Quiúe partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarũt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui, per statutum, vel aliâs, compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violẽtiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Cõsiliarij ordinarij, vel extraordinarij quorumcunq; Principum secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunq; præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

15. Quiúe ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas ecclesiasticas, capitula, conuentus, collegia Ecclesiarum quarũcunque coram se ad suum tribunal, audientiam Cancellariam, Consilium, vel parlamentum præter Iuris canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore: necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis

aut priuilegij, vel aliâs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliis quouis modo restringitur, seu nostris & dictę Sedis, ac quarũcũq; Ecclesiarũ iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunq; Iudices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines impediunt, quo minus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscunq; vtantur, secundum quod Canones & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuũt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunq; sententias, & decreta, aut aliâs fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoq; qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

17. Quiúe iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus, ad Nos & Sedem Apostolicam, & quascunq; ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

18. Quiúe collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera clericis prælatis, & aliis personis ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum benefici-

 orum

orum ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Rom: Pont. speciali & expressa licentia, imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à spontè dantibus, & concedentibus, recipiunt. Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunq; sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus quicunq; etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, & Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris & pœnis in eis contentis.

19. Item excōmunicamus & anathematizamus omnes, & quoscunque magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo; vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique eiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliâs illa perperam abutuntur, etiam si talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

20. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, ac detinere præsumpserint, in totum vel in partem, Almam Vrbem,

bem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebarię, Romandiolę, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumq; Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Ciuitatesq; nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanę Ecclesię mediatè, vel immediatè subiecta, necnon supremam iurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta; quousq; alij huiusmodi processus, à Nobis, aut Rom: Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicẽtur, durare, suosq; effectus omnino sortiri.

Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunq; personis ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinũ, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisq; Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgẽtibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, literis, aut

ris, aut alia quacunq; ſcriptura in genere, & in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.

Quòd ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauiùs contra eos ſpiritualiter & temporaliter, prout expedire nouerimus, proceſſuri.

Declarantes ac proteſtantes quamcunq; abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam, prędictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi priùs à præmiſſis, cum vero propoſito vlteriùs ſimilia non committendi, deſtiterint. Ac quo ad eos, qui contra Eccleſiaſticam libertatem, vt præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta huiuſmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuiis, ſeu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & caſſari, ac Nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per huiuſmodi abſolutionem, aut quoſcunq; alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocunq; tempore continuatam, in præmiſſis omnibus & ſingulis, ac quibuſcunq; iuribus Sedis Apoſtolicæ, ac S. R. E. vndecunq; & quandocunq; quæſitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari poſſe, aut debere.

Non obſtantibus priuilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis cuiuſcunq; ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quauis eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate: vel eorum

Regnis

Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, seulocis à prædicta Sede, ex quauis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis cõcessis, etiam continentibus quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunq; longissimis, & aliis quibuslibet obseruantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ cõtra hos nostros processus, ac sententias quominus includantur in eis se iuuare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quo ad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus, cæterisq; contrariis quibuscunque.

Vt verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, seu membranas Processus ipsos continentes, valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateran. & Basilicæ Principis Apost. de Vrbe appendi faciemus. vt ij, quos processus huiusmodi concernunt, quòd ad ipsos non peruenerint, aut quòd ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patẽter omnibus publicatur. Insuper, vt processus ipsi, & præsentes literæ, ac omnia & singula in eis contenta, eò fiant notiora, quò in plerisq; Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiẽdo man-

 damus,

damus, vt per se, vel alium, seu alios præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Cæterùm Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliiq; locorum ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, necnon rectores, cæteriq; curam animarum exercentes, ac presbyteri seculares, & quorumuis Ordinum regulares, ad audiendas peccatorũ confessiones, quauis auctoritate deputati, transumptum præsentium literarum penes se habeant, easq; diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidẽ in iudicio, & extra illud vbiq; locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, mandati, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ, Apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Sexcentesimo septimo, pridie Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno secundo.

Hæc

HÆC interim ad pastoralis ministerij dispensationem præsidia, vnanimibus vestris suffragiis decreuimus, quæ dum in lucẽ emittimus, vobisq́ intimamus; diuini oraculi, quo olim Moses à Domino compellatus est, vos commonefacimus, nempe, vt multitudinem vobis creditam in sinu vestro portetis, sicut nutrix portat infantem. Memores autem, Sacerdotium, quo insigniti estis, laboris non quietis nomen esse, exhibeatis in opere, quod signatis in nomine, populum videlicet Deo acceptabilem, sectatorem bonorum operum reddere satagite, tantoq́ diligentiùs ad explendas vocationis vestræ partes incumbite, quò magis & peccata nostra inundasse, & difficultates quæ ordinem sacrum exagitant, multiplicatas esse conspicitis. Ad quas auertendas, vestrarum orationum fraterna subsidia ad Deum omnipotentem requirimus, ipsiusq́ tutellæ & patrocinio vos resignamus.